



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

S. Landfrancus Ep. 3. Iulii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

3. Iulii.

VITÆ SANCTORVM.

331

remotissimos voluit, ut neque jam lusus illis communis esset, quorum mores dissimiles esse oportebat. Bambergam redux vitam reliquam egenorum subsidio porrò impendit, magno operæ pretio. Nam vidit nonnemo in altissimo monte (Olympum diceres) ab omnis ætatis & sexûs hominibus palatium OTHONI è solidis gemmis adornari. Quid igitur superbia architectos toto orbe conquiris, ut cælum tibi in terris struas, quando obvios hos quotidie habes? Si nescis, cæci sunt, qui aream rectè designabunt: claudi sunt, qui tam pulchra saxa convehent; manci debilesque rectè absolvent, & in cælum tam nobile ædificium educunt. Ex DD. Bamberg. Gretseri.

Dulcis Domini JESV memoria, ô juvenis, fixa semper inhereat in mente tuâ: ut exercitationis tuæ cursus palma coronam accipiat. Tempus enim instat, in quo strenui præmia, ignavi ignominiam accipiant. S. Ephrē de Exercitatione.

S. LANDFRANCUS EP. 3. Iulii.

Nobiles cunas LANDFRANCUS Papiæ Italiæ urbe habuit, nobiliores nutrices, Musas. Harum in sinu non profanam modò, sed & sanctiorem sapientiam imbibit, ut *Lumē Magisterq;* Theologorum jam tum audiret. Sed poterat hic Magister amplius in fortunæ ludo quid discere. Ecce enim dum Gallias petit, in uno omnes captivæ bonæ artes abducuntur. Tulit ægrè ab initio servitutem tam liberaliter educatus; obstrepentibus puto in vinculis, liberioribus, è novem, Sororibus. At rectius severiores monuere. *Et, nimirū, ajebant, hoc tu fortuna didactron etiam Magister debebas; discipulus sanè hujus, si in captivo liberum errare animum nescias;*

*nescias; Si poëta es, absolves fabulam: si orator, persuas-
debis animo deditioem. Iam philosophus Orbem, etiam
in hoc angusto carcere perambulabis; denique si Lumen
es, si Magister, pulchrius in tenebris lucebis, & DEVM
è vinculis laudabis.* Ad hæc LANDFRANCVS tam cœ-
pit amare servitutem, ut amissus ex hac continuo
cœnobio se mancipaverit, utque in scholâ tam
sanctâ rectius proficeret, illiteratus videri volue-
rit. Sed Itali institores, quibus iter illac erat, ape-
ruere, quàm doctæ merces sub rudi cucullo late-
rent. Itaque primò scholis, mox asceteriis, tum
etiam Cantuariensi Ecclesiæ præfectus, anno M.
LIX. nobilem hæreticum Berengarium, spectante
& applaudente Româ, devicit. Triumphum ta-
men illi mors in annum LXXXIX. distulit. *Ex Ar-
noldo Wion.*

*Hujus vita dulcedinem relinquentes, jam nunc de
futuris sæculis quotidie cogitando etiam in hoc corpore
pragustare conemur; & exclusâ de sensibus nostris se-
cularium desideriorum amaritudine, quendam beatitu-
dinis saporem cordibus nostris attrahamus.* B. Cæsar.
hom. 26.

S. UDALRICUS EPISC. 4. Iulii.

Multum ætas tenera nutricibus debet, quæ
lac dederunt; plus illis, quæ pietatem instil-
larunt. Ipse è cælo UDALRICVS adstipulabitur.
Hunc puerum VViborada sanctissima virgo levi-
culè fortè cinctum castiore de lino cingulo dona-
vit, jussitque primò liberioribus sermonibus nec
linguam daret nec aurem; tum, quos mundus so-
cios dicitat, hostes duceret; mollem Cupidinem
cilicio absterret, ejus flammis sub pectore graf-
fantibus, verbis Ecclesiæ in adjutorium DEVM
exciret,